

Celeritas Dei momentanea in Mariani corpusculi formatione, illustratur amantis sacrae Scripturae testimoniis.

Pf. 44. 10. 596 Primum derivo ex Pf. 44. v. 10. Astiuit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Hæc verba prophetice dicta fuisse de B. Virginis conceptione efficacibus evincitur rationibus, à Patribus, à contextu, à proprietate, vel translatione vocum, atque à similitudine locorum deductis: quod alibi expendam. Interim consule nostrum Salazarium de conceptione c. 32. n. 31. & observa, ab illo, & ab aliis minimè observatum. Nempe apud LXX. Interpretes, (quorum in Psalmis interpretationem pro Vulgata retinet Ecclesia) substitui verbum Græcum μαρμαρινο, quod Græcè, doctissimo S. Gregorio Nazianzeno Ora. 1. de Theologia, valet idem ac Latinis gigni, oriri, prodire. Igitur verbum astiuit firmum locum, permanentem, immobilem celestis Reginae Deiparæ à dextris sponsi Regis statum designat; quem ab ipso primæ suæ generationis, seu creationis exordio constantissimum sæpè tenuerit. Verum illud hic dumtaxat expendendum, de aurati vestitus, & variegati symbolo, interpretæ S. Athanasio in Serm. de Deipara, virgineum ejus corpus describi; Reginae autem aurata, & variegata chlamyde amictæ nomine totam exprimi Mariam animam & corpore cultissimam, & ornatissimam. Non quidem secundum spiritualem simplicitatem (ait Athanasius) aut quasi sine corpore, & carne assistat, sed quod indita sit quantum spectat ad sanctam ejus Carnem) incorruptibilitate, & immortalitate. Variiegata rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ ejus carnem suffulcunt. Nam ex carne ejus & ex ossibus ejus veluti ex veteri Adamo, novus iste Adam, ut vicem ejus expleret, costam sibi finxit, nimirum istam Incarnationem, eamque semel indutam perpetuò gestat. Ac proinde ista nova Eva, mater vite appellatur, variegataque permanet ad primitias vite immortalium omnium viventium.

S. Athan. Corpus Marianum sola aurea assimilatur subtili ac textili opere elaborata.

A Prima generatione absolutissimum Maria corpus.

597 Pulchrè Athanasius stolæ aureæ tam subtili, quam textili opere ad miraculum usque elaboratæ Marianum corpus prophetice comparatum explicuit, ut & opificis artem, & opificii perfectionem commendaret. Cui ego ex Nazianzeno addebam verbum propheticum, quo David Reginam splendido vestitu tam variè richamato, tam artificiosè acupictò, atque imaginario opere tam pulchrè variegato amictam dixit significare illam à prima generatione richamatam, acupictam, variegatam, divino conspectui adstuisse. Quasi dicat, non processu tardiori, non fastidiosa pompa non illa morosis procrastinationibus comperendinata, dum comitur, dum muliebri ornatur mundo, annuas produxit moras; sed statim omnis, universa simul adfuit, tota protinus astiuit Regi corpore & animo absolutissima, cultissima, ornatissima. Et si ex usu libet humano fari, neque prius tanti census, tantique magni pretii vestitus conceptus fuisse putandus est, quam Regina ipsa gigneretur, ad cuius mensuras aurea exigebatur chlamys, neque sine vestitu ipso nuda unquam stetit Regina; id est, neque corporis tela aut discissa

est, aut phrygio artificio picta, priusquam anima cõcederetur; neque condita anima, nondum elaborato corpore. Utrumque & totum & pariter absolutum cecinit Vates, cum dixit: Astiuit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. A primo nempe generationis ortu corpore juxta & anima, univèrsa simul stetit perfectissima pporfus & ornatissima.

598 Juvat simillimus ejusdem Vatis versus Pf. 138. 15. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto; & substantia mea in inferioribus terra. Cujus est Psalmi, & Versus argumentum, Conceptionem esse Christi Domini, docent Patres Hilarius, Augustinus, Prosper, Isidorus, Beda, & alii. Sensus est: Totum me undique affabrè compactum, atque in materno utero, quasi in artificiosa textrina, omnibus membris, ossibus, musculis, nervis, venis conferuisti, atque opere pinxisti plusquam phrygionico. S. Hieronymus legit: imaginatus sum: hoc est, instar absolutissimæ ejusdem imaginis elegantis colorum varietate efformatus. Symmachus: variegatus: sonatque Hebraicum verbum richamatus; ut semel dicam, imaginario, ac polymito opere & textus & pictus. His translationibus facerrimum Incarnati Verbi corpusculum compactum in humillimo Mariæ utero (quem honoris gratiâ inferiora terræ compellat;) his, inquam, pulcherrimis translationibus bellissimum divini corporis artificium ornavit Vates, quod tamen operosissimum, momento absolutum esse, Theologicum est. Igitur, præter expensas alias probationes, hanc etiam ductam à simili tum voce, tum metaphora, tum conceptionis argumento adjecimus; ne ex variegata, artificiosaque Reginae chlamyde, carne scilicet Virginali, quam Vates tam multa variatam textura, tam magnifica Phrygiæ pictura cultum cecinit, suspicaretur quispiam prolixioribus forsam plurimorum dierum tractibus fastidiosissimè fuisse prorogatum. Minimè gentium. Astiuit enim à primo seminio, ab ipso generationis exordio, in vestitu deaurato, circumdata varietate; imaginata, variegata, polymito artificio tota simul contexta, acu quoque picta Phrygionica.

Similis Deiparæ formatio ab eodem Vate celebratur.

Deiparæ formatio in Salomonici Templi fabrica prolusiva.

Lapides illius Templi quales.

599 Secundo, convenit inter omnes Deiparæ studiosos, formationis ejus ichnographicum vestigium in Salomonici Templi fabrica fuisse prolusum. At de Templi illius fabrica sic scribit sacer Historicus 3. Reg. 6. 7. Domo, cum edificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis edificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cum edificaretur. Habent hæc pulcherrimas theorias, quas modò non persequor: illam dumtaxat expendo, quæ ad institutum pertinet. Sunt qui putent, lapides nullâ profus humanâ arte dolatos fuisse, atque politos, sed divinâ providentiâ sponte suâ præparatos, & inventos, qualis Templi posceret structura. Sic Theodoretus ibi qu. 21. & Procopius Gazæus ibidem; & S. Ephrem Ser. de Margarita tom. 3. Inde putantur LXX. Interpretes nuncupasse lapides illos illaboratos. Pagninus & Tigurina, integros: Isidorus Clarus, perfectos. Quod verò 3. Reg. 5. 18. dicuntur lapides fundamenti dolati, & quadrati fuisse à cæmentariis, & Architectis Hirami, & Salomonis, Theodoretus sic conciliat; ut ex lapidibus, quos in hoc loco dicit, fabrilis operâ,

operâ, ac cæmentariis instrumentis fuisse dolatos, factus sit Templi ambitus; adde profundas substructiones, Regiam, Jerosolymitanum murum, & alia ejusmodi ædificia: Nam Templum (inquit) edificavit ex lapidibus minimè cæsis securibus, cum divina providentiâ voluisset, ut invenirentur ejusmodi suâ sponte nati lapides; adeo ut ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absque ulla arte edificandi, inter se aptè conjungerentur.

Theodoret.

Rupert.

Joan. 2. 19. & 21. Corpus Christi, & Mariae instar templi.

600 Etenim sacri Templi structuram, exactum fuisse formationis corporis Domini Symbolum, multis explicat Rupertus lib. 3. Reg. c. 6. 7. 11. & 13. quod aperte constat ejusdem Domini testimonio apud Joan. c. 2. 19. & 21. Solvite templum hoc, &c. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Quamvis enim quadraginta & sex annis constructum fuisse, responderint Judæi; hoc tamen verum quoque esse in corpore Christi Domini, ut licet totum momento formatum fuerit, tamen quadraginta & sex diebus ad communem humani foetus molem fuerit perductum, commodè interpretantur S. Augusti. tract. 9. & 10. in Joannē, S. Ildeph. Ser. 1. de Purificat. & Beda in Joannem. Quemadmodum ergo quiddam difficultatis occurrat, quominus eximia illa lapidum sculptura, ac politura per divinam certè providentiâ consultò præoccupata, præsignificavit Christi D. conceptionem momento temporis felicissimè præfinitam; quemadmodum, inquam, quiddam in hoc difficile ad intelligendum vel explicandum occurrat, studio leniendum est, ut certissimæ allegoriæ partes suavissima concinnitate nequantur; ita quidem, in Mariæ gloriam (quam cum sua ipsius Filius voluit esse communem) simili labore eadem est emollienda difficultas, si qua sit, ut quæ Salomonici Templi apparatus subitanèam Christi conceptionem expressit, eadem momentaneam exprimat Mariæ Conceptionem; quandoquidem idem Templum, ejusdem quoque Virginei corporis expressum extitit præludium.

Res tota explicatur, & Jesuana & Mariana fabrica adaptatur.

601 Explicatio autem, & applicatio ita constabit. Apparata per divinam vim, in latomia ipsa fuit universa materia, excisa, exculpta, expolitæque sponte suâ inventa sunt marmora, atque nativa quadam exactissima symmetria invicem commensurata. Neque aliquid jam deerat, nisi ut, accedente artificis forma, in Templi speciem coaptarentur omnia, & conformarentur. Haud obscure planè Jesuanæ, & Marianæ fabricæ vestigium. Eadem profus divina virtus, administris usâ parentibus, materiam construendi utriusque corporis, Christi, & Mariæ, totam apparatus suscepit; hinc principes partes, tamquam pretiosissimos lapides; hinc ossa, hinc musculos, hinc nervos, hinc venas, hinc membra dissecuit universa, quæ potentissimi opifex operas Mariæ ad Christum, Joachimi & Annæ ad Mariam architectandam promovendo, momento temporis absolutissimè excoluit. Illaborata omnia, integra sponte suâ perfecta diceres inventa, cum illa tam subitanèa cerneret opere confecta. Una de erat forma utriusque, artificialis illi Salomonicæ, naturalis huic nostræ fabricæ, (sed utriusque discrimen formationis naturalis & artificialis commendat) artificialis forma sponte suâ morosior artifices retardavit, quo minus tota protinus informaretur fabrica; naturalis verò P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

forma, nempe spiritualis anima, nihil penitus opificem remorari potuit, cum natura potius sua necessariò exegisset ut tota simul momento temporis induceretur. Nihil igitur obstitit, vel ex parte spiritualis formæ, vel ex parte materiæ ritè dispositæ, quo minus universâ fabrica Jesu, & Mariæ, puncto temporis absolveretur. Nam quod inumbratili templi præludio tardiorè poterat formationem adumbrare corporis Christi, & Mariæ; nempe prolixus aliquis materiæ cultus, & apparatus, id totum consultissimo divinus Architectus nulla condidit mora; illaboratum, integrum, perfectumque voluit inveniri: videlicet certus, quod ad formam attineret, nullâ profus rationalem animam comperendinatione fabricam fuisse præpedituram, cum ejus potius natura momentaneam exposceret creationem. Haud invitam ergo allegoriam ad suam adduxerit sententiam momentaneæ conceptionis auctores.

602 Tertio, Conceptionem B. Virginis, tum sacra Scriptura, tum Ecclesiæ Patres, clarissimæ lucis emblemate solent declarare. Sic Job 3. 9. Expellet lucem & non videat, nec ortum surgentis aurora. Sic Salomon Cant. 6. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora conjurgens? &c. Sic Joannes Apoc. 12. 1. Mulier amicta sole. Ex Patribus autem Sedulius lib. 2. operis Paschalis eleganter dixit: De stirpe Evæ Maria sacro veniente cum lumine primæ Virginis lucem sequens Virgo diluit. Et S. Vincent. Ser. 2. de Mariæ Nativ. ad illa Genesis verba, Fiat lux, &c. Lux dicitur, inquit, illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpa facta est. Datâ operâ sapienter exerrasse voluit in grammatica, ut singularem illam culpæ exprimeret caliginem, quam fulgentissimâ Marianæ Conceptionis luce longissimè dispulsam noverat. Sed ad rem. Nemo ignorat Philosophus, lucem momento procreari, totumque protinus spatium claritate perfundere, ubi collucens corpus adfuerit. Ita Aristot. lib. 2. de Anima c. 7. textu 70. contra hallucinatum Empedoclem. Explicuit apertius S. Thomas lect. 10. & lib. 2. sentent. dist. 13. q. 1. a. 3. ad 8. & 9. arg. & 1. p. q. 69. a. 2. Illuminatio fit in instanti; statim enim cum sol est in puncto horizonis, illuminatur totum hemisphærium usque ad punctum oppositum, quin offusæ noctis tenebræ quicquam possint obsistere; quamvis enim luci contrariæ adversentur; sed tamen privativè, ut loquuntur Philosophus, & Theologus, ac proinde nullo negotio eodem momento discutiendæ. Igitur instar lucis extitit fulgentissimæ Marianus conceptus, divinæ justitiæ, sanctitatis, & gratiæ fulgentibus radiis splendidissima. Nonne momento temporis potuit à justitiæ sole promanare? Ecquid obsisteret luci? An originalis peccati tenebræ luci illi contrariæ? contrariæ quidem, sed veluti habitui privativo. Dispulit, nulla omnino mora, disjecit, discussit planè in metipla momentanea conceptione originarias peccati tenebras, atque per totum emicuit orbem lucidissima Maria. In prima sanctificatione Virgo Beata (ait S. Bernardinus tom. 2. Ser. 51. a. 3. c. 3.) procedebat quasi aurora conjurgens, sicut dicitur Cant. 6. quia effugavit tenebras originalis infectionis.

Maria Conceptio declarari solet lucis emblemate. Job. 3. 9. Cant. 6. 9. Apoc. 12. 1. Sedul. S. Vincent. Ferrar.

Sicut ergo lux momento temporis procreatur, ita & Deipara. S. Thom.

S. Bernard.

Momentanea Domini corporis formatio.

603 Quarto, quod Christi D. corpus non per intervalla constitutum fuerit, sed totum illicò perfectum, Spiritus sancti virtuti adscribit

